34. 2. E. 59

GALENI PERGAMENI DISSECTIO-nis uenarum arteriarumq́; com-mentarium.

Eiuſdem de neruis compendium.

Antonio Fortolo Ioſerienſi interprete.

BASILEAE. IN AEDIBVS. THOMAE VVOLFFII.

AN. M. D. XXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORNATISSIMO VIRO D. RO- *berto Thyrſelino, in ſupremo Pariſienſi Senatu Conſiliario prudentiſſimo ſimul & humaniſſimo, Antonius Fortolus S. D.*

CVM MVLTA SVNT CLA- *riſſime Thyrſeline, ob quæ merito ætati noſtræ gratulari conueniat: in qua artes penè omnes ab interitu pro pemodum reuocatas, excoli fœlicius, exerceriq́; contigerit: tum nulla profectò res maiori laude huius ſeculi homines cumulauit, quàm Medicina. Cum enim ea uniuerſo hominum generi ſalutaris, uel potius neceßaria ſit, minimumq́; referat, utrum rem primus aliquam inuenias, an inuentam quidẽ iamdiu, ſed obſoletam, ac ferè extinctam primus longo interuallo reſtituas, atq; excites: tanto ſanè, quàm ex cæteris artibus, maior ex reſtituta medicina laus ſit oportet, quanto illa & utilior eſt, quàm cæteræ artes, ad tuendam humanam uitam, & maior eius reſtituendæ difficultas, deſperatioq́; fuit. Nec uero in contentionem hic uenit, cui orbis parti plurimũ ex pulcherrima hac re, laudis debeatur. Eam certe laudem ut ciſalpinæ gentes*

cum Ita

cum Italia communem haberemus, Ruellij, Copi, Linacriq; uirorum doctiſſimorum opera factum eſt. Hoc autem affirmare ueriſſime poſſe mihi uideor, in nulla uſquam academia, ita ueram uigere medicinam, atq; in Pariſienſi: à qua longe nunc exulant ſophiſticæ, ac barbaries: quæ duæ peſtes, ſicut in alias omnes egregias diſciplinas irruperant, ita in medicinam perditè ſæuierant, apud ſuperioris ætatis homines. His ego animatus cum ſtatuerim, quicquid hac parte poſſim, ad publicā conferre utilitatem: initium audendi ab interpretatione mihi faciendum duxi. Delegi autem ex Galleni libris permultis, hæc duo potiſsimum ad anatomicen pertinentia opuſcula, quibus è Græco in Latinum uertendis periculum facerem, quid præſtare hoc in genere poſsem. Quantum itaq; conſecutus ſim, aliorum erit iudicium. Si quod uolebam, minime effeci, generoſis conatibus ueniā dabunt. qui æquiore animo ad hæc iudicanda, æſtimandaq; acceſſerint. Id quidem certe aſſecutum me eſſe confido, ut fidelis perſpicuusq; interpres eſſem. Elegantiam libenter ijs reliqui, quos eius rei præcipue ſtudium teneret. Quanquā ne id quidem, quantū ex prima illa inſtitutione puerili præſtare potui, à me neglectum eſſe calumniari, quis poſſit? Hos igitur primos laborum, ac ſtudiorum

meorũ fructus tibi Thyrſeline dedicaui, quẽ ſciẽm & ipſum eſſe doctißimum, & ſtudioſorum homi- num egregium patronum. Nec quicquam ueritus ſum, ne ineptum me quis iudicaret, quod Senatori præſtantiſſimo, & grauiſſimis in rebus maxime oc cupato, commentarium de uenis, arterijs, & ner- uis afferrem: rem ſcilicet nec profeßioni tuæ con- uenientem, nec ſatis dignam amplitudine tua. Cui enim dare obſecro potius debui, quàm ei, qui & in omni genere doctrinæ excelleret: & ea præditus eßet humanitate, ut nihil, quod modo ad literas pertineret, non ſua dignum authoritate iudicatu- rus eßet? Abs te itaq; clariſſime Thyrſeline peto, ut ſi parum hac in re habitam tui rationem arbi- traberis, non tam temeritate, impudentiáq; factum putes, quàm ſumma erga nobilitatem tuam obſeruãtia, quæ me ſane commouit, ut omne quod mihi induſtria mea pareret, tibi offerrem.

Vale.

GALENI PERGAMENI DISSEctionis uenarum arteriarumq; commentarium, Antonio Fortolo Ioſerienſi interprete.

COMMENTARIVM de uenarum & arteriarum diſſectione chariſſime Antiſthenes, quo à me donari uoluiſti ad memoriam confirmandam eorum, quæ ipſe in ſimiæ corpore ſpectaſſes, hoc opere confeci. Exacta autem, & cumulata non horum modo, ſed omnium reliquarum partium narratio libris cõtinetur, quos de adminiſtranda corporum diſſectione inſcripſimus. Nunc itaq; quo facilior euadat commentatio, cogitatione uolo complectaris arboris quendam truncum, parte quidem inferiore in multas findi radices, ſuperiore in numeroſam ſobolem diffundi. Hanc enim docendi gratia ſimilitudinem, non unus tantum ſecutus eſt Hippocrates, ſed quicunq; tempore poſteriores Anatomici fama celebres extiterunt. Igitur quæ in uentrem, inteſtinaq; deferuntur uenæ, proportione radicibus reſpondent. Ea uero, quã tum iecorariam, tum cauam appellant, quidam ueluti

truncus eſt omnium quæ toto corpore ſparguntur, uenarum. Eadem ratione arteriæ, quarum origo omnium eſt à corde, quæ ex illis ſparſa ramorum ſerie pulmones petunt, radicum imaginem oſtendunt. Quam autem Ariſtoteles aortan, alij arteriam magnam uocant, ea etiam caudicis in arbore proportionem ſubit. Principio igitur ſeptem uenarum te commonere uolo, quæ ad uentrem pertinentes, uno ex principio prodeunt, ea nimirum iecoris parte, quam portas uocãt. Hinc enim orta magna uena, fertur obliqua deorſum, alias obiter animantis partes perreptans ferè circa medium eius inteſtini, quod Herophilus τὴν δωδεκαδάκτυλον ἔκφυσιν *appellat, quaſi tu dicas productionem inteſtini longitudine duodenum digitorum. Ita enim illi appellatur principium inteſtini, prius quam in anfractus, orbesq́; conuoluatur. Sane eo primum breuem quandam uenam mittit, quæ in nonnullis ſola apparet, plurimum autem alijs comitata capillorum modo prætenuibus, quæ tum ad* ἔκφυσιν *tendat, tum ad id quod à carne pancreon, uel calicreon uocant. Id autem caro glanduloſa eſt ſubſtrata arterijs, uenisq́;, quæ ea parte in ramos ſinduntur. Tum alia etiam ad pyloron aſurgens parua uena, toti quæ & circa ipſum, & antea eſt, uentriculi parti diſtribuitur. Rami autem inſigni amplitudine,*

tudine, ab ea quæ ad portas exiſtit, procurrunt: primus quidem ad cõcauum uentris: alter ad lienem, qui in aliquibus ſimijs promitur quidem initio tantum unicus, ſed ſtatim ab exortu bifariam ſcinditur, & parte quidem una uentrem, altera lienem adit. Atq; quum duæ ſunt uenæ, ipſæ etiam exorientes mutuo ſe contingunt. Quæ igitur ad concauum uentriculi tendit, propius pyloron naſcitur. Is autem pars ima uentriculi eſt, quæ ad dextrã prope iecur ſitum habet. Nam in his animantibus oblique ſatis poſitus uenter eſt, Sed enim ad ipſum uentriculi concauum, non æqualiter ramos mittit uena hæc. Quandoquidẽ id omne uentriculi, quod ad ſiniſtram eſt, uſq; ad gulæ exortum, aliæ amplectuntur uenæ ex alia ductæ, quæ ad lienem porrigitur. Hæc enim parua ſatis exiſtẽs, dum ad lienem tendit, multas obiter pilorum modo graciles uenas, in pancreon edit, quumq; iam prope lienem peruenerit, notabili magnitudine ramum ad concauum uentris mittit. Quæ porrò ipſius pars lienem adit, circa eius maxime medium ſedem habet. Deinde inibi in ramos ſciſſa, toto uiſcere, qua eſt concauum, elatior expanditur, multis in ipſum ueluti radicibus inſitis. Nec uero hic tota in ramos exhauritur, ſed mediocri magnitudine ipſius extrema ſunt utraq;. Eorum itaq; alterum à capite ad gibba uen

triculi ſubit: alterum ex imo ad omenti partem ſiniſteriorem, & hæc quidem ferè ita habent. Nonnunquam uero, quanquam id rarius, prius quàm ad ſplenis caput pertingat, magna uena ad uentris gibba attollitur: ramos ex ſe, tum ad reliquum ſplenem, tum uero ad concaua uentris, uſq; ad ipſius os, emittens. Tertia ab eis quas memorauimus, ex magna uena naſcitur, eodem quo illa modo ad partem ſiniſtram extremum magnorum inteſtinorum meſenterium ad ſedem uſq; complexa. Eodemq; modo non ita multo poſt quàm hæc orta eſt, alia quædam à dextris partibus ex eadem magna uena propter pyloron nata, ad gibba uentriculi effertur. A qua ſubeunte, propagines ad omenti ipſius dexteriorem partem exiſtunt, poſitum, quàm maxime fieri poteſt ei contrarium habentes, quam modo ad omentum ipſum de lienis infima parte ferri diximus. Quinetiam poſt hanc, alia quoq; ex uena magna oritur ipſius latere dextro, quæ coli, id eſt craſſioris inteſtini meſenterium inibi poſitum, numeroſiore uenularum propagine adit. Iam totum, quod reliquum eſt ex uena, quam à porta oriri diximus, ad ſpatium peruenit, quod inter duo iam dicta meſenteria iacet. Id autem plurimas ſane uenas habet: & in ieiunum primum, deinde in omne deinceps tenue inteſtinum fiſſura multiplici diuiditur.

Poſtre-

Poſtrema uero eius pars, tum cæcum inteſtinũ complectitur, tum quandam coli partem, qua ipſum cæco adnectitur. Ad hunc ſane modũ uenæ illius, quæ à portis prodit, in inteſtina, ſplenem, & uentriculum digeſtio perficitur. Quinetiam omnes omento intextæ uenæ, ab eiſdem ipſis uenis propagantur. Illæ quidem, quæ tum in dextris, tum in ſiniſtris ſunt partibus, ſicut paulo ante oſtendimus. Quæ autem anteriorem, mediamq́; eius regionem obtinent, ex illis oriuntur, quæ gibbam uentriculi partem perreptant. Poſtremo quæ in membrana omento ſubdita ſunt uenulæ, quæ exiguæ omnino ſunt, ab ijs ortum habent, quas ſub concaua parte uentriculi porrigi diximus. Iam illud meminiſſe te uolo, uenarum uentriculi gibbum complectentium, quæ, ut modo dixi, duæ ſunt, extrema ſeſe mutuo contingere, & illarum utranq; quibuſdam ſubnixam ceu fulcris, elatiorem per uentriculi gibbum circumire. Diſſimili plane ab ijs modo ſe habent concauæ partis uenæ, eæ ſiquidem contra uentriculum exortæ, corpori ipſius adnectuntur, atq; inſident. At uero lienis uena ſimiliter ut gibbæ uentriculi partis uenæ, membranis fulta, concauum omne peruadit. Sunt autem & aliæ uenæ in tenuiorum inteſtinorum medio meſenterio, quæ ad glandia quædam, ea regione poſita, pertinent. Quinetiam

ab eadem magna uena, quæ ad portas eſt iecoris, cuius ſoboles ſunt omnes modo memoratæ, aliæ quoq; quædam producuntur, iocineris fibris numero pares, in ſingulas enim ſingulæ diuiduntur. Itaq; per uenas, quæ tum ad uentriculum, tum ad inteſtina deſcendunt, ad has ipſas portas cibus aſcendit: eoq; mihi locum ita uidentur antiqui nominaſſe. Hinc uero per uenas ad ipſius fibras pertinentes in totum iecur permanat. Indeq; rurſum in alias aſſumitur uenas, per gibbam quidem partem diſperſas, cæterum à maxima alia uena ortas, quã ob id ipſum cauam nominãt. Ab ea etiã aliæ propagantur, quæ in omnes corporis partes ſanguinẽ riuant. A iecore enim utrinq; prolapſa, ſurſum quidem per ſeptum tranſuerſum ad cor attollitur, deorſum uero in ſpinam dorſi contorquetur: atq; inibi ſuper magnam defertur uenã, quæ à corde paulo altius, quàm eſt ſeptum tranſuerſum, progignitur. Iam uero, uenæ ab ea quæ ſurſum tendit oriuntur iſtæ: primum ad ipſa præcordia coniugatio ramorum, deinde capillorũ modo tenues permultæ tum in thoracem intercipientes membranas, mox in eam tunicam, quam ſcitè, quòd ſit cordis inuolucrum, pericardion Græci nominant. Poſt illas alia mediocri magnitudine in dextram cordis aurem fertur, ab aure mox in ſinum eius

dextrũ

dextrum, eundemq́; magnum, atq; inde alia arteriijs ſimilem tunicam nacta, in pulmones. Quinetiam alia quædam perquàm exigua, per exteriorem cordis ſuperficiem, in totum eius uiſceris corpus ſpargitur. Eodemq́; modo in plurimis animantium ad thoricis ſiniſtras partes profecta uena, quintam dorſi uertebram aſcendit. At in ſimijs paulo ſupra aurem cordis in dextris partibus ſita eſt hæc uena, per ſpinam quidem ſimiliter delata, cæterum in omnes thoracis partes diffuſa, præter prima duo, nonnunquam uero etiam tria coſtarum interualla. Cum enim cor ipſum præterijt uena caua ad iugulum feſtinans, eam uenam obiter promit, cuius proxime mentionem fecimus: deinde alias quaſdam filorum araneæ modo prætenues uenulas, ad membranas mittit thoracem interſepientes, & quum ad id glandium, quem thymum nominant, prope iugulum peruenit, in duas diducitur partes. Atque ita in latus oblique utraque pars inclinata, à media regione paululum diuertit. De quibus dum ad ſibi uicinam quæque clauiculam aſcendunt, tum de alijs per anteriores thoracis partes procedentibus uenis, radices ſparguntur. Præter has magnarum uenarum multiplici ſe fiſſura ſcindentium coniugatio intercoſtalia ſuperioris thoracis alit ſpatia, & quæ circa

ſcapulas

ſcapulas ſunt loca, tum nonnullos etiam ex interioribus colli muſculis. Porrò ab his ipſis uenis illæ etiam naſcuntur, quæ ubi ad ſextam colli uertebram peruenerint, in ipſa foramēta ſe inſinuantes, ad caput uſq; efferuntur. Quod autem de eis ſupereſt, quantum id cunq; eſt, ad axillas porrigitur. De qua uena, quæ utrinq; ſcilicet una eſt, ut de alijs etiam, in diſſectionum libris plenius, & exactius dictum eſt. Enimuero compendij cauſa ijs, qui primum inſtituuntur perutilis, nec etiam aliquid dicetur. Propago igitur utrinq; una, eaq́; prætenuis, muſculis qui à medio pectore ad humerū feruntur, diſtribuitur. Secunda in ipſa axillarum glanduloſa membranoſaq́; corpora ſpargitur, perexigua ea quoq;. Tertia autem, craſſitudine prædita mediocri, deorſum iter habens, per eaſdem expanditur partes: utraq; autem per ſuum thoracis latus, deorſum uerſus cum tenui neruo porrecta, ad ſubchartilaginea uſq; delabitur. Quarta deniq; poſt has uena, iuxta eam, quæ per axillam in manum fertur, exoritur, in muſculos diſpenſata, tum illos qui cauam ſcapularum partem ſubſternunt, tum eum qui in ipſa axilla eſt maximus. Cuius uenæ reliqua pars, multiplici fiſſura, per manū excurrit totam, ad hunc ſane modum. Per brachia quidem intimis magni muſculi partibus, porrigitur.

(aſſu

tur. (aſſumit autem ab hac uena non hic muſcu-lus ſolum, ſed qui in brachio ſunt ferè omnes.) Ex *eius autē una propaginibus, per interna hæc quoq; procurrēs, circa brachium in orbem complicatur, poſterioremq́; ipſius regionem ita perreptat.* Mox *in exteriorem partem, eandemq́; anteriorem, ſubit ad cutem.* Atq; *illinc deorſum tendit, donec ad brachij commiſſuram perueniat.* Poſtrema *uero eius pars aliquando exteriorem brachij nodum paululum excedit: nonnunquam multo ulterius progreditur, ſub cute ſecundum os cubiti deorſum tendens.* At *omne quod de magna uena reliquum eſt, ad medium peruenit cubiti flexum, una cum uicini ori neruo ramos expandens, ad intimas muſculorum eius loci partes, uſq; ad interius brachij caput, nihiloq́; minus per profundum ad poſteriores, anterioresq́; muſculos.* Sed *enim priuſquam in cubiti flexum ingrediatur, in uenas ſcinditur complures, è quibus multæ in ſuperficie extant: omniū maxima profundius demergitur.* Ac *quæ in ſuperficie ſunt, neq; magnitudine, neq; numero, æquales ſunt* Non *obſcure enim, ſi laqueo brachiū interceperis, etiam citra dißectionem uidere eas licet, in alijs aliter poſitas eſſe.* Idq́; *in primis conuenit aſpicere in ijs hominibus qui latiores uenas habent, quanquam in ſimijs quoq; quum diſſecātur,*

eadem

eadem quæ in homine, omnia uiſuntur. Atq; magna ex parte una quidem uena à magna propagatur, ad inferiora magis oblique declinans, ac ſubinde altera ex inferioribus cubiti partibus multiplici ſparſa ſobole ad nodum eum peruenit, quo cubitus extremæ manui committitur: carpon Græci, Latini brachiale uocant, ac tertia deinceps, circa medium maxime cubitum, cæterum earum extrema probe brachiale commiſcentur. Elatiſſimus autem ſimul, & maximus ramus, qui ab ea uena, de qua modo inſtitutus eſt ſermo, propagatur, in medium peruenit flexum, qua cubitus cum brachio coit. Quò etiam confluit alterius uenæ, quæ per brachij anteriora ſub cute ſita eſt, non exigua portio, quam in latas uenas habentibus perſpicue uidemus: primum quidem à clauicula per ceruicis muſculū ſinuoſius ferri, deinde uero recto tramite deorſum tendere. Huius uenæ quænam ſit prima origo, poſterius indicabimus. Nunc autem hoc tantum de hac ſcire conuenit, in ſuperficie ſub cute ſitam, ijs quas percurrit partibus, uenas producere, ita tenues, ut uideri omnino nequeant. Vbi uero iam prope cubiti articulum producta eſt, non paruā ſui partē oblique ad flexum brachij, quæ in idem coeat cū modo memorata maioris uenæ parte, quam cum ſolam huc uſq; perſequeremur, commentando

mentando propter ſocietatem, quam cũ alia init, in aliam tranſire coacti ſumus. Duæ enim hæ toti/us ſunt manus uenæ, tum ea, quæ per axillam in ipſam manum fertur: tum ea quæ per clauiculam, quã humerariã appellant. Sed enim de utraq; noſ/ſe oportet, non paruam utriuſq; portionem ſemper ad flexum, qua brachium cubito committitur, per/tingere. Cæterum non ſemper eundem harum uena/rum poſitum eſſe, ſicut nec æqualis craſſitudo ſem per eſt. Huius autem tres ferè ſunt differentiæ, qua rum primam, quia in plurimis uiſatur, primũ etiã explicabimus: alias ſubinde proſequemur. Secun/dum naturam maxime eſt, & in quamplurimis ita ſe res habet, ut utriuſq; uenæ pars in interiorem cu biti flexum quadantenus deferatur: quæ partes po/ſtea quàm coierint, uenam producunt, quæ omniũ in cubito extantiũ fertur ampliſsima. Secundũ hãc præcipua magnitudine humeraria eſt. Ea hinc pro/fecta, qua cubitus cum brachio coartatur, perq; ra dium porrecta, ad extremi cubiti tuberculũ, quod brachiali adhæret peruenit: atq; inde mox infi= mæ, eidemque extimæ brachialis ipſius parti diſtribuitur. At alia, quam ex confluxu coituq; duarum uenarum omnium in ſuperficie extanti/um maximam fieri dixi, ab interioribus cubiti par/tibus incipiens, primum conſcendit radium.

Deinde

Deinde in extimam euadit partem: ubi in ramos ſciſſa duos, altero ad radij extremũ quod brachiali annectitur, procedit: altero ad ſummum pertingit cubitum, qua & ipſe brachiali adhæret. Atq; inibi uenam contingit, quam ab humeraria propagari retulimus. Ad hunc igitur modum ſecundum naturam ferè ſeſe habent duæ hæ uenæ, quanquam in aliquibus nõ item: in quibus uel humerariæ propago axillariæ ramum auget, uel uiceuerſa huius ramus humerariam. Quinetiam, quod ad ſitũ pertinet, altera earum ſub muſculum ſe condente, reliqua ſola in ſuperficie eminet. Ita fit, ut dum ad uenam ſecandam accedimus, uel tres æquales uidere liceat, uel duas tantum, uel inæquales omnes: nonnunquam etiam nobis occultetur aliqua una ex ijs, aut etiam duæ. Atqui & quæ has ordine conſequuntur, humiliores tres, eas non ſolum æquales inæqualesq; uidere licet, ſed ne extantes quidem prorſus earum aliquas, quod eo fit, uel quia prætenues ipſæ ſint omnino, ut ſenſum effugiant: uel quia penitius ferantur, maxime cum obeſius, craſſiusq; fuerit corpus. Iam uero quemadmodũ quæ in interiori cubiti parte ſunt uenæ, ferè circa brachiale in multas exiles & inter ſe commixtas uenas ſcinduntur: ſic etiam, multoq; his magis, quod liquido uel in diſſectione, uel etiam citra eam uideas, exte-

deas, exterioris cubiti partis uenæ. Pluribus enim locis & ſibi inter ſe obuiam fiunt, & cum uenis coeunt exterioris cubiti partis. Atq; ad hunc modũ ſæpius commixtæ, ſub cutem extenduntur, quæ brachiali, palmæ, digitis deniq; obducitur. Ac uenarum in ſumma cute extantium huiuſmodi eſt ſeries. Quæ autem altius per cubitum, manumq; extremam immerguntur, à duabus magnis (quarum ſobolem eſſe diximus omnes per totam manũ diffuſos uenarum ramos) oriuntur, ad hunc ſane modum. Qua parte, ut ante meminimus, ab utraque magna propagari quaſdam oſtendimus, quæ ad flexum brachij tenderent, duo rami ab utraq; ſinguli in profundum procurrunt: ibiq; ſimiliter mutuo complexu coniunguntur. Ex quibus rurſum aliæ duæ uenæ fiunt mediocri amplitudine, quarũ quæ demiſſior eſt, ad partes brachij internas traijcitur, elatior autem altera, per mediam craſſitudinem quadantenus progreſſa, ac ferè ex interioribus partibus commune oſſium uinculum contingens: poſtea uero, cum iam attigerit paruũ muſculum obliquius propter brachiale poſitum, qui radio mouendi author eſt, in exteriorem illius partẽ euadit. Atq; inibi per profundum porrecta, exterioris manus quæcunq; nacta fuerit oſsa, amplectitur. Ea porrò, quam ad interiorem manũ pertendere

diximus, ad paruos uſq; digitos, aliquid etiam de medio digito apprehendens, pertingit. Reliquam uero medij partem, ac duos deinceps maiores digitos, unà cum è regione poſitis palmæ, ac brachialis partibus, alia amplectitur uena, ab ijs orta, quæ in ſuperficie extant: ac uenæ quidem per manus ita digeruntur. Quæ autem ad anteriorem thoracis regionem feruntur, ad hunc conſtant modum. E medio duarum uenarum, in quas cauam findi dudum memorauimus, uena oritur, quæ ad dextram oßis pectoris tendit: ab ſiniſtro autem cauæ membro altera. Hæ igitur per totum feruntur thoracem, oſſi pectoris ſubditæ, uſq; ad radicem eius chartilaginis, quæ in mucronem gladij modo exacuitur, ob idq; à Græcis ξιφοειδὴς appellatur: & ad ſingula obiter coſtarum interualla ramulum ex ſe mittunt, quo coniunguntur extremis eius uenæ, quæ ſpatia ipſa intercoſtalia perreptat. Harum uenarum pars quædam extra thoracem emergit ad ſubſtratos illic muſculos. Ipſæ autem, quæ ad mucronatam chartilaginem pertinent, tũ in mammas aſſurgentes, tum in reliquum pectus diſpenſatæ: deorſum procurrunt, rectis ſubnixæ muſculis, in quos partem etiamnum quandam mittunt. Vnde non modica earum portio in idem coit cum uenarum aliarum poſtremis, quæ de imo ſurſum

ſum attollũtur. De quibus poſterius dicetur, cũ de uenis in oſſe, quod latũ uocãt, exiſtentibus, ſermonẽ inſtituemus. At uero aliæ quoq; ſub cute, quæ ſub chartilagineis prætẽditur, eminẽtes uenæ initium habẽt, ex cõmixtione factæ ramulorũ, tũ ab ijs uenis, quas iuxta mucronatã chartilaginem extra thoracẽ exiſtere, atq; emergere diximus: tũ etiam ex ijs quæ uicina intercoſtalia alũt. Cũ qbus aliæ rurſum cõmittũtur quæ de inguinibus ad ſuperiora tendũt. De quibus ſuo loco diſſeretur. Ad hunc igitur modũ uenæ diſtribuũtur, quæcũq; à caua bipartito ſciſſa propagãtur, prius quã ad clauiculas pertingant, maxime circa eũ locũ, ubi magnũ ſitũ eſt gladiũ, Anatomiás thymus appellatũ. Vbi aliæ etiãnum uenæ paruæ, et in ijs telæ aranearũ modo prætenues aliquæ, tum in ipſum gladiũ, tũ in obſepientes membranas inſeruntur, quæ & ipſæ, cauæ ſunt ſoboles. Aliquæ autem his etiam maiores, & ad membranaceũ cordis inuolucrum (pericardion Græci uocant) proficiſcũtur: & cum arteria, quæ à corde ſurſum effertur, ſe porrigũt. Qua porrò clauiculæ adiacent cauæ uenæ membris, in quæ ſecari ipſam oſtẽdimus, ſubiecta eſt uenæ radix maxima, utrinq; una: quæ quidẽ cõfeſtim aßurgens, bipartito ſcinditur, duas edens magnas uenas: quarũ altera per anteriorẽ, auerſamq; colli partẽ ad

interiora magis recedens effertur: altera in partem anteriorem deorſum quadantenus ſubſidens, mox ſurſum ſublata clauiculam amplectitur ad modo memoratam uenam extrinſecus cõtendens. Et confluentibus, ſeſeq́; commiſcentibus, gignitur in ſummo eminens iugularis utrinq; una. At enim non eodem ſemper modo miſcentur, ſed aliquãdo haud longe ultra clauiculam progreſſæ, nonnunquàm tum demum, cum tertiam totius colli longitudinis partem emenſæ fuerint. Videre autem aliquando eas licet ad mediam longitudinem, aut non ita procul pertingentes: aliquando ne edita quidem uena ulla ſurſum rectiores efferri uideas, modico inter ipſas ſpatio interiecto, & parte quidem interiore non procul ab aſpera arteria alteram, exteriore uero reliquam, eam nimirum, quam circa clauiculam contorqueri & circumuolui diximus. Cæterũ communis uenæ interuẽtu, quæ trãſuerſum ad utranq; obtinet ſitum, perpetuo inter ſe coniunguntur: atq; ita ſurſum uerſum contendunt. Iam ea uena, quã circa clauiculam torqueri dixi, propagines mittit aliquas filorũ araneæ modo prætenues, quæ in nullis omnino corporibus uiſu percipi queant, id enim omnium huius generis uenarum commune eſt. Nonnullas in ſpeciem capillorum graciles, eaſq́; aſpectabiles, ſi modo cõfeſtim diſſecetur animans,

ut com-

ut compreſſu digitorum, expreſſo in ipſas ſangui-ne, ita manifeſtas efficiamus. Duo autem *hic hu-iuſmodi uenarum ſunt coniugia: obliquum alterũ, coeuntium ipſarum, ac ſeſe inuicem contingenti-um in cauo iuguli: alterum autem, minime coeunti um, declinant enim quaſi in extimam colli partem obliquæ.* Porrò *ex ijs, quæ filorum araneæ modo graciles ſunt, quæcunq; in extimam regionem con uertuntur, earum extrema inuicem coniungũtur.* Hæ *igitur, ſicuti iam dixi, non in omnibus ſunt aſpectabiles.* De *ijs autem, quæ uſquequaq; uideri poßunt, tres ſunt originem ducentes ab ea, quæ ar ca clauiculam contorquetur, una quidem ſatis no-tabilis, quæ ſæpius æquali uiſitur craſſitudine, cũ uena ad collum ſubeunte, hanc autem humerariã ideo appellant, quòd obliquior à clauicula ſenſim recedens ſe porrigat ad humerum.* Reliquæ *duæ, radices utrinq; humeraria minores habent.* Earũ *igitur altera, elatiorem nacta radicẽ, uſq; ad ſum-mum humerum conſcendit, ac in proxima quæq; corpora tranſigens, ita occultatur.* Humilior *ac de preſſior altera, per profunda magis ſurreptans, ſe cundum magnum muſculum ab oſſe pectoris por-recta, ad caput brachij peruenit.* Cuius *uenæ po ſtrema aperte nonnunquam uidentur committi cũ uenæ alteri us extremis, quæ ab axillaria naſcens*

ad humerum extollitur, atq; illic multifariam diſtribuitur. Quin aliæ quoq; modicis interuallis ſparſæ, quarum non idem perpetuo ſitus, neq; uero magnitudo plane eadem, in omnibus ſimijs uiſitur: à uenis oriuntur, quæ ad manus pertinent. Quæ autem ex ijs notatu dignæ ſunt, dudum memorauimus, cum de axillariæ diſſectione commentaremur. Ea enim & multo humeraria maior eſt, & numeroſam in brachio ſobolem habet, prodeuntium ex ſe ramorum, cum ab humeraria perpaucæ, eæq; uel pilorum in modum, uel etiam filorum araneæ prætenues oriantur ſub ſumma cute diſperſæ. Sequitur ut de iugularijs, tam ijs, quæ ſubter cutem extant, quàm de illis etiam, quæ altius conditæ deliteſcunt, quo eæ modo digerantur agendum ſit. Iugularias autem altius conditas, nonnulli eas uocant, quæ protinus ſciſſa caua producuntur. Alij non totas illas, ſed id demum, quod ex ijs ſupra iugulum collo intextum eſt. Nec deſunt, qui ne hoc quidem omnino ſciant, illas in ramos ſpargi infra clauiculas. Nos uero ſemper obſeruauimus cauam uenã, prius quàm ad clauiculas pertingat, diduci: & de ramo ipſius utroq; uenas produci, quæ ad pectus primasq; coſtarnm intercapedines, ſex colli uertebras, ſcapulasq; ferantur, tum quæcunq; poſt has ad totas manus deriuantur, quas per axillas

cõiter

rò iter habere diximus. Cum autem ſub clauiculas prodierint magnæ uenæ, quas ex diſtractione cauæ in duo ueluti membra oriri dictum eſt, radicem edunt notabilem: à qua, ut memoratum eſt, tum humerariam naſci cõtingit, tum alias quoq; quaſdã, de quibus eſt paulo ante pertractatum. Quantum autem eſt reliquum de magnis uenis, in quas cauam diduci diximus, rectà per collum, gulam habens ante ſe poſitam, ſurſum effertur. De quibus, quo pacto diſtribuantur, orationis ſeries poſtulat ut nunc agatur, una cum ſummo extantibus iugulo uenis, quas in diuerſis corporibus uarie concurrere eodẽ, & coniungi inter ſe diximus. Enim uero quemadmodum huius rei, ut in unum coeant, permultæ ſunt differentiæ: ſic alijs totidem differentijs ipſæ in ramos ſcinduntur. Progreſſa enim ſuperficiaria ipſa iuguli uena, protinus aliquando finditur: & pars ipſius utraque, uel æqualis apparet, uel inæqualis: nõnunquam ulterius multo procedit: aliquando ita longè, ut propter maxillam ſcindatur. Hæc autem conſpicue in hominibus quotidie uidentur, uel in curationibus, quæ manu obeuntur, uel ſi etiam intenſius clamauerint, ſpiritumúe intra continuerint compreſſo thorace, quod athletæ in ſpiritus comprenſionibus (ita enim uocant) faciunt. Quin &

putrifica quædam uitia, ita aliquando extenuata ante omnia quæ ſuberant, detexerunt, ut nudæ conſpicerentur uenæ. Idq́; per omnes continenter corporis partes uidere tum maxime licuit, cum fœda quædam lues carbunculorum in Aſiam ingruiſſet: quæ facile, quicunq; uidiſſent, perſuaſit, exactam ſimijs cum hominibus eſſe ſimilitudinem. Igitur medicum neceſſe eſt, quicunq; curationem circa collum manu facturus ſit, uarietatem noſſe uenarum, quæ collo ſunt commiſſæ: tum uero omnes quatuor uenarum propagines ad unguem exploratas & cognitas habere. Quum autem quatuor dico, intelligi uolo primum eas quæ infra ſunt, priusquàm eodem coeuntes, extimam producant iugulariam. Deinde eas, quæ poſtquam ſciſſæ in ramos fuerint, ſurſum uerſus contendunt. Nec uero neceſſarium arbitror, nec medicis, neq; ijs qui primum introducũtur, nec multo etiam magis nobis, optime Antiſthenes, philoſophis, exactiſſimam habere huiuſmodi rerum cognitionem. Quocirca initio ſtatim teſtatus ſum me commentarium ac compendium ſcribere uaſculorum diſſectionis. In libris etenim, quibus rationem perſcripſimus adminiſtrandarum diſſectionum, quomodo in quenq; muſculum uena & arteria inſereretur, planum factum eſt. Nunc autem nec eſt, ut dixi, neceſſariũ,

& mul

& multum haberet obſcuritatis oratio, ſi mihi muſculorum facienda eſſet expoſitio. Ideoq; in diſſectionum libris, uaſculorum tractatui, muſculorum diſſectionē præmiſimus. Quapropter, quod ad præſentem commentationem pertinet, tantum dixiſſe ſatis erit, quòd uenæ ab extantibus in ſuperficie iugularijs propagatæ, plurimæ, & tenues ſunt, & in muſculos ſubter cutem poſitos diuiduntur. E quibus muſculis etiam duo ij ſunt, qui buccas (γνάθους Græci appellant) mouent, tenues illi quidem mediocriter, cæterum ſubter totam colli cutem porrecti. Poſtea autem, quàm iterum in ramos diſceſſerint ad ſuperiora ſubeuntes, harum uenarum notabiles rami ſunt, per quos tum in totam faciem ſparguntur, tum in circumiectam auribus regionem ſe expandūt, & in caput deniq; attolluntur. Cum enim bipartito ſe ſciderit utraq;, altera quidem pars in totam inferiorem maxillam magnis uaſis, & alijs paruis in ſuperiorem effunditur: altera uero circum aures, caputq; excurrit. Permiſcentur autem harum omnium uenarum extrema, non modo cum adiacentibus, uerumetiam nihilo his minus cū è regione poſitis. Eodem enim confluunt uenarum ad ſiniſteriorem exiſtentium partem capita, cum ijs quæ ad dextram ſitum habent. Nam cum quatuor in ſummo extantes iugu-

 lariæ,

lariæ, prodierint, ipſarum quædam per exteriora magis in caput ſubit. Memineris autem eius quod de ea dixi, nimirum circa clauiculam contorqueri. Alia interius ad inferiorem maxillam, commixta identidem ramulis quibuſdam interioris iugulariæ, à quibus multæ mittuntur propagines in guttur, gulamq́ꝫ, eas deniqꝫ muſculorum partes, quæ per profundum iugulũ porriguntur. Sicut quæ ab imo ad cutem recedunt partes muſculorum, iugularijs aluntur ijs, quæ ſubter cutem magis eminẽt. Quin & lingua magnas accipit ab intimis iugularijs uenas, poſtea quàm eæ per ramos cum extimis ſe coniunxerint. Quæcunqꝫ porrò linguæ circumiecta ſunt corpora, & è muſculis quicunqꝫ non penitus conditi latent, à iugularijs aluntur extimis. Reliquum autem omne ex internis iugularijs ad cerebrum aſſurgens, in caluam excidit, per extremam ſuturæ partem, quæ Λ Græcæ literæ imaginẽ oſtendit. Sed prius quàm excidat, ramulum in medium primæ, ſecundæq́ꝫ uertebræ commiſſuram inſerit: ac deinceps aliam pili modo tenuem inter primam uertebram, caputq́ꝫ ipſum. Coit autem cum uenis quæ de ſumma parte deorſum feruntur per cerebrum, ac nonnullis item, quæ extrinſecus, quæq́ꝫ à lateribus ueniunt. Omnium enim coniunguntur extrema uenarum circa caput, ipſiusq́ꝫ cum prima

uertebra

uertebra commißuram. Et enim uenarum quæ caluæ intexuntur, aliquæ per interiora procedunt, maxime quà maxilla iungitur. Quemadmodum autem poſtea, quàm in caluam euaſerint, in ramos ſparguntur: & ſocietatem inter ſe ineunt: ac rurſum quomodo aliquæ ipſarum partes cum neruis quibuſdam foras excedunt, in diſſectionum libris (cum de cerebri diſſectione facienda diſſeruimus) pertractatum eſt. Similiter cum de pulmonibus corde, alijsq; uiſceribus diſſecandis orationem inſtituiſſemus, ut quæq; in quodq; ipſorum ab omnibus, tum uenis, tum arterijs propago mitteretur, plenius atque exactius eſt dictum. Nunc autem (quod iam monuimus) commentarium ac compendium de uaſorum dißectione ſcribimus. Cumulata igitur, expletaq; uenarum, quæ ſuperiora alunt expoſitione, iam ad reliquas oratio conuertatur, quæ omnibus infra præcordia membris, partibusq; corporis ſanguinem riuant: quarum omnium origo caua eſt. Hæc enim uena, ſimul atque è iecore primum ſe exprompſit, prius quàm in lumbos conſidat, elatior adhuc exiſtens, parte quidem dextra in dextri renis tunicam, ac circumiecta corpora modo in ſpeciem filorum araneæ prætenues, modo craſſiuſculos paulo

& aſpe

& aſpectabilior es ramulos ſpargit: ſiniſtra autẽ inſigni magnitudine uenam, quæ & ipſa in ramos ſciſſa corporibus inibi exiſtentibus diſtribuitur, ac ſæpenumero à caua ipſa ad renem proficiſcẽte propagines mittuntur, quæ in renis tunica intexuntur ac uicinis in ambitum locis: eæq; nũc filorum araneæ ſimiles ſunt, nunc paruæ. Paruas autem ſeparatim, ac proprie appello, quæ aliquam & exiguam craſſitudinẽ obtinent: id quod nequaquàm ineſt neq; in ijs, quas filorũ araneæ, neq; in ijs quas capillorum ſimiles ſubinde uocamus. Verum illæ quidẽ aßimiles ſunt ſubtilißimis lineis, quæ ægre uidentur: quas antiquorum nõnulli ἀπανθισμοὺς *uocauere, quaſi tu exoleſcentes lineolas diceres. Hæ autẽ pleniuſculis paulò lineis, quæ habẽt illæ quidem latitudinẽ omnino aliquam: cæterum quia ſenſum non moueant, ceu quiddam latitudine uacans uulgo dicuntur, cum nulla in ijs particula ſit, quæ manifeſte eam dimenſionem definire queat: hæ igitur uenæ ad hunc habent modum. Quæ autem in renes inſeruntur, omnium facile ſunt ampliſſimæ, quæcunq; à caua propagantur. Deinceps poſt has, ad teſtes deferuntur uenæ, quæ partim commune quiddam in omnibus nactæ ſunt ſimijs, partim in ſingulis proprium. Et cõmune iſtuc quidem eſt, ut ab ea, quæ ad ſiniſtrũ perfertur renem,*

ramus

ramus ad uenam eam mittatur, quæ ad ſiniſtrum teſtem tendit: utq; hæc à caua propagetur, aliquādo ab illa ſola, quæ ad renem perfertur. At, quæ in dextra parte uena eſt, ad dextrum contendens teſtem, ea ab ipſa producitur caua: quanquam hæc quoq; mihi ſemel obſeruata eſt, initia duo habere, ſicut ea quæ ad dextram eſt, perſæpe. Hæ igitur uenæ ad teſtes deferuntur, ſiue mas, ſiue fœmina animans fuerit: habet enim etiam fœmina ad uteri latera teſtes multo minores, quàm in maribus uiſantur. Secundū eas uenas de ſingulis uertebris ad ilia uenæ mittuntur, quarum poſtrema ad muſculos, qui abdomini prætenti ſunt, attolluntur: muſculi enim quibus abdomen conſtratum eſt, ab ijs aluntur uenis, alijsq; tum quæ inter minorum coſtarum ſpatia uerſantur, tum quæ per pectus ad mammas ſuperne deferuntur: ijs deniq;, quarum de inferioribus locis ſurſum uerſus tendentiū extrema, cū proxime memoratis pectoris, mammarumq; uenis coniunguntur: de quibus antea recepi me rurſus dicturum. Qui porrò ſupra hos muſculi, extra thoracem iacent, alimentum accipiunt à uaſculis gracilioribus: de quibus ante eſt dictum: tum etiam ab ijs, quæ per pectus ad mammas tendunt: (ſiquidem eorum propagines quædam ad muſculos pectoris erumpunt.) atq; etiam ab ijs

quæ

quæ in ſpatijs ſunt intercoſtalibus. Etenim *& harum pars quædam extra thoracem emergit.* Ac *dictum quoq; prius eſt, quòd à uena caua lumbos perreptante uenæ propagatæ in ſpinam dorſi, quatenus ea per lumbos porrigitur, inſeruntur, per ſingula foramenta ſingulæ, plane ut nulla uena quæ à caua ortum habeat ſuperſit commemoranda.* Sed *enim quo modo bipartito ea ſcindatur, iam addendum.* In *ultimis igitur lumborum uertebris, non amplius uidere eſt arteriam uenæ ſubiectam, ſed contra omnino ſe res habet.* Elatior *enim arteria ſupra uenam ceu prouehitur: uena autem per ipſas uertebras.* Hac *igitur parte & ſeſe contingit utrunq; uas, & in duo membra diuaricatur: efficiturq; omnis illorum figura* V *elemento perſimilis.* Vtraq; *porrò cohærentium uaſorum pars, ad ſibi ſubiectum crus deſcendit obliquior.* Atq; *obiter uidere primum licet, ramum uenæ utriuſq; retrorſum ad carnes in lumborum longitudinem porrectas (ψόας* Græci *uocant) diſtribui: atq; alias pilorum ſimiles obſcure quãdoq; ad eam peritonæi partem, quæ ad lumbos eſt, ferri.* Siquidem *peritonæum, ut cui corporis parti prætenditur, à proximis quibuſque uaſis, tam frequentibus alitur uenis: quarum plurimas eaſq; longiores, à uenis accipit, quæ ad teſticulos deferuntur.* Secundũ *has, à*

uenis

uenis ad crura tendentibus propagines mittuntur, cum ad imas, tum ad anteriores partes, primũ quidem ad eius oſſis, quod latum uocatur muſculos, quarum nõ exigua portio, ipſorum miſcetur muſculorum exortui ad ſedis muſculos tendens. Vtriuſq; autem uenarum cõiugationis extrema ad exteriores lati oſſis partes ſe promunt. Inq; muſculos eam regionem conſternentes diſpenſantur. Deinde ad uteri partes inferiores, uenæ progrediuntur, paulo ſupra quàm eſt cõlli primus exortus, quæ in ceruicem ipſam diſſeminantur, & ad uterũ coeuntes, quadam ſui parte teſticulos amplexantur, altera uſq; ad uteri fundum pertinent. At ex ijs quæ ad inferiora uteri feruntur, uenæ propagantur ueſicam ſubeuntes. Deinceps aliud uenarum quæ gemino ex magna parte initio oriuntur, coniugium eſt, quæ procedentes mutuo ſe contingũt, uenamq; progignunt, quæ utrinq; per pubis os ad exteriora cum eius neruo porrigitur: atq; ita ad inferiores oſſis quod ad pubem eſt muſculos, uaſculum hoc, ut neruus quoque diſtribuitur. Eſt & alia ſubinde uenarum coniugatio, de quibus antea dicere intermiſeram, quæ per rectos muſculos aſcendunt: deinde extremis coniunguntur uenarum, quas per thoracem deſcendere ad ſubchartilaginea prius dixi. Quinetiam ab eadem

radice

radice uenulæ utrinq; ſingulæ, in uterum perſeruntur, per quas uenas mammis cum utero maxima eſt communicatio. Venæ igitur hæ in interioribus rectorum muſculorum partibus ſitæ ſunt: ac illæ quidem quæ ad ſubchartilaginea feruntur, his ſunt connexæ. Inſuper aliud extra muſculos eſt coniugium, earum quæ ad pudenda pertinent, ſiue mas ſit animal, ſiue fœmina. Deſcendunt autem propter cõmiſſuram duorũ pubis oſſium, utrinq;. Ab his autem ſtatim alia eſt uena utrinq; quæ ad crura procedit ad interiores muſculi partes. Sequitur alia poſt has uenarum ſubter cutem in ſuperficie extantium coniugatio, quas in macilentis hominibus conſpicue uidemus, de inguinibus primum orientes per ilium regionẽ aſcendere. Quin etiam obſcuræ aliæ, quæ ſuperne deorſum ferũtur, finibus has cõtingunt: hæ autẽ ab iis quæ ad mammas ſunt, maxime deriuantur. Sed enim ubi à uenarum coniugatione, de qua modo erat ſermo, dixi non paruam partem ab inferioribus ſurſum tendere, ac ad podicis muſculos ſecedere. Hinc reliqua magna uena, in crus ipſum diuiditur: primam iuxta inguina emittens propaginem, quæ cum parua arteria in anteriores muſculos ſpargitur: ſecundam utrinq; uenam, quæ ex internis partibus ad genu uſq; ſubter cutem diſſipatur: ac alias nõ pau

cas per

eas per profundiora fœmora. Cæterum paulo altius quàm fœmur, cū tibia articulo iungitur, in tres partes diuiditur: quarum media (quæ maxima eſt) per ipſum deorſum ad poplitem fertur, atq; inde per profundum poſterioris tibiæ (quàm ſuram dicunt) procedens, non modicam in muſculos eius ramorum ſobolem ſpargit. Altera autem parte, quæ in ſuperficie eminet per exteriorem partem alterius tibiæ oſſis (quod peronam Græci appellāt) porrecta, ad pedis pertingit articulū. Tertia uero quæ eſt interior ad anteriorem tibiæ partem (cream Latini appellant) procedit, ac inde ad malleolus peruenit, ad ipſum tibiæ extremū: hæc ad ſanguinem mittendum commodiſsima. Enimuero à maxima quæ per profundum muſculum diſtribuitur, duo cum arteria, extrema fiunt: quorum alterum maius id quidem à tibia fertur ad interiora: alterum uero per mediam duorum tibiæ oſſium regionem ad interiora pedis perducitur, ac propagini alterius uenæ immiſcetur, quam ex anterioribus tibiæ partibus, per poſteriorem tibiam dixi deſcendere. Ita fit, ut ſint uenæ quatuor, quæ ad pedes deſcendunt, una quidem omnium maxima, per externam poſterioris tibiæ partem: altera per ipſius interiorem: & tertia, ut dixi, per anteriorem tibiæ

C regionē

regionem: quarta deniq; quæ ex interioribus partibus extuberantes oſſium tibiæ proceſſus complexa eſt. Harum igitur duæ prius expoſitæ, poſterioris ſunt tibiæ: reliquæ duæ, anterioris. Hinc uerò quarta infima queq; pedis commixtis tibiæ primæ particulis cõplexatur: duæ autem intermediæ per ſuperiores pedis partes diſſeminantur. Atqui prima etiam ſuperioris pedis particulã habet: ac partes minimo digito maxime uicinas complectitur. Cæterum & alijs multis modis quemadmodum in extremis manibus, ſic in pedibus etiam uaſorum particulæ commiſcentur. Hoc igitur tibi diſſectionis uenarum commentarium eſto. Deinceps de arterijs dicendum.

Harum origo eſt cordis ſiniſter uentriculus. Hinc autem in pulmones deriuatur una tenuis, ſimpliciq; tunica conſtans: tum altera etiam multo hac craſſior, quæ ueluti truncus eſt omnium arteriarum. Poßis etiam, ſi lubet, quæ in pulmonem deriuatur, cum uena conferre, de qua omnium primum diſſeruimus: eam dico, quàm à portis iocineris ad uentrem numeroſa ramorum ſerie deſcendere, ſuisq; extremis ceu radicibus quibuſdam cibũ exugere diximus. Hæc enim ſimiliter propter uſum commoditatemq; ſpiritus attrahendi, in pulmones

deriuatur

deriuatur. Ac ſanè ob eandem hāc cauſam, cordis ipſius corpus circumfuſas in ambitum duas habet arterias: alteram quidem maiorem, quæ maximam ipſius partem amplectitur: alteram ea maxime regione diſtributam, ubi tertium uentriculum eſſe exiſtimauit Ariſtoteles. Atqui hic in latiore cordis parte iacet, particula exiſtens dexterioris uentriculi, non etiā alius quiſpiam tertius uentriculus. Has igitur arterias, ſimul atq; maxima de corde ſe prompſerit, ab ea produci uideas, ipſamq; mox in membra haud quaquam paria diduci: & horum quidē quod minus eſt, ſurſum ferri: ipſumq; cōfeſtim in partes rurſum inæquales findi, ac ſubinde ipſarum maiorē ad iugulū tendentem obliquam de ſiniſtra ad dextram thoracis partē porrigi: alteramq; oppoſitum habere ſitum. Attollitur enim etiam ipſa obliquior ad ſiniſtram ſcapulā, & axillam, propagines mittens ad pectus, primasq; thoracis coſtas, & ad ſex colli uertebras, atq; etiā ad clauiculæ uicina loca ſummo humero tenus. Ac cū has omnes ediderit, reliquū eius in ſcapulā, manūq; diuiditur. At uero arteriæ pars maior, quæ ad iugulū tēdit, ubi prope glandiū, cui thymo nomē eſt, peruenerit, primū quidē, ad ſiniſtrā iugularē ramū emittit. poſt illū, alterū ad dexteriorem. Deinde quicquid

ipſius reſtat, eodem diſtribuitur modo, atq; illa, quam ad ſcapulam, axillamq́; ſiniſtram procedere diximus. Nam & ad pectus quædam non aliter ac uena, porrigitur, tum alios producens ramos, tum eum qui mammam ſubit. Et quæ ad primas thoracis coſtas diuiditur, extráq; thoracem emergit ad ſpinales muſculos non alio, quàm uena, modo: quæq; per foramina ſex primarum colli uertebrarum deducta, unà cum uena ad ſpinalis medullæ membranas (meningas dícunt) deſcendit, diuiditurq́;: tum quæ ad ſummum humerum, ſcapulam axillamq́; dextram: hæ inquam, omnesq́; aliæ ſimul cum adiacentibus uenis diuiduntur, quemadmodum & quæ arteriæ carotides appellantur. Ex ijs enim unà cum iugularijs internis aſcendit quædam arteria. Cæterum quæ in ſuperficie extant iugulariæ, ſiue duæ ſint, ſiue quatuor, eæ ſine arterijs conſpiciuntur. At omne, quod ex carotidibus eſt reliquum, ſurſum rectà procedens penetrat in caluam: inibiq; textum illud ad retis imaginem complicatum efformat: deinde in duas rurſum coiens arterias, ſubit ad cerebrum. Cæterum, quo eo pacto diſtribuantur, quamq; cũ ſenſum inſtrumentis ſocietatem, ac communionem habeant, in diſſectionum libris eſt monſtratum. Porrò arteriæ

quæ à cor

quæ à corde ſe promit, pars maior, ad ſpinam deflectitur, quintamq́; thoracis uertebram aſcendit: & inde per totam ſpinam uſq; ad latum os deſcendit: primum propaginem quandam tenuem emittens, quæ in eas diuiditur thoracis partes, quibus pulmones adiacent. Extrema autem ipſius ad arteriam uſq; aſcendunt: deinde per ſingulas uertebras rami, tum in ſpatia intercoſtalia, tum ad ſpinam exoriuntur. At enim ſuperiores thoracis partes, quæ quatuor primis coſtis muniuntur, nõ ad eundem ſemper modum diſtributas habent arterias. Aliquando enim ab una coſta longiuſcule recedunt arteriæ, nonnunquam pari ab utraq; ſpatio intra ipſas inſeruntur. Cæterum magna arteria procedens, ſimul atq; thoracem egreſſa eſt, primum duas in ſeptum tranſuerſum mittit arterias: deinde in uentrem, lienem, ac iecur iniugem unã: utraſq; ab anterioribus magnæ arteriæ partibus, ducentes originem, interdum ex una radice bifariam diducta, uentri quidem, & lieni, & hepati altera pars: altera uero inteſtinis diſtribuitur, per duo meſenteria, tum id quod ad dextram ſitum habens, primarum eſt coli partium, tum id, quod eſt omnium inteſtinorum medium. Nam tertium meſenterium, quod prope ſedem pertingit in ſiniſtra

 ſitum,

ſitum,nullam inde aſſumit arteriam, ſed de imis partibus in ipſum quædam inſeritur,quæ propter renes à magna arteria iniugis & ipſa naſcitur. Atqui inter hanc & modo memoratas,duæ magnitudine præcipua ad renes tendunt. Tum alia quoq; præter ipſas arteria ſuperne atq; à ſiniſtra per uenam porrigitur,quæ ex inferioribus partibus ſurſum uerſus tendit. Enimuero ex duabus in coniugatis arterijs,de quibus modo uerba fecimus aliquoties uidimus altiorem quidem in uentriculũ lienemq́;:humiliorem uero in iecur meſenteriaq; diſtribui. Quin aliæ quoq; à magna propagatæ arteriæ per ſingulas uertebras,in ſpinam dorſi unà cum uenis deſcendunt. Ac cum ijs etiã uenis,quas ad ilia ferri meminimus, arteriæ pariter quædam contendũt,ab ea magna ortæ,quæ per lumbos extenditur. Deniq; cum uenis,quas ad teſtes diximus ferri,arteriæ etiam procurrunt. Iam arteriæ magnæ pars extrema,cum ad latera lumborum peruenerit,ſuprapoſitam uenam tranſcendit. Oſtenſum enim nobis eſt,ſuper uertebras uenam,ſuper hanc autem ferri arteriam. Quod poſtea quàm factum fuerit,haud aliter quàm uena ſciſſa bibartito arteria,partem utranq; in ſibi ſubiectum crus mittit. Quæ dum ita ferũtur,obiter ab ipſarũ utraq;

ſinguli

ſinguli conſpiciuntur propagari ramuli, qui con/ ceptibus per umbilicum inſeruntur. Cum enim con ſumatur ac perficitur animãs, quicquid membra= naceum in medio eſt, aridum id, & inutilæ reddi- tur: quod autem umbilico adhæret, nequaquam pe rit. Atq; *indidem ut in conceptibus, ſic etiam in iam perfectis animantibus arteriæ aliquot propa= gatæ, cum uenis ad os latum exiſtentibus pari= ter excurrunt: quas antea diximus, in regionis eius muſculos diſpergi.* Ipſa *autem cruris utriuſ- que arteria, ad intimas diſtributa partes, cum ma/ gna uena fertur. Ac ſanè quæcunq; ab ea uenæ producuntur, profundius conditæ, cum arterijs feruntur pariter, atq; in ramos diſſipantur. Cæte/ rum ijs uenis, quæ per crurum ſuperficiem ex- tant, ne unam quidem animaduertas adiacentem arteriam. Sic nec in manibus, nec abdomine (epi- gaſtrium* Græci *appellant) nec dorſo, nec collo. Sed enim arterias in ſolo capite iuxta cutem inue= neris, tum eas quæ poſt aures, tum eas quæ ad utraque tempora extant.* Nam *quæ in extremis manibus arteriæ ſunt, eæ etſi profundius lateant, pulſare attamen manifeſte ſentiuntur: quoniam ea loca minus ſunt corpulenta: quemadmodum etiam illæ, quæ per pedum malleolos excurrunt.*

Nam uel in ijs hominibus, qui craſſiore obeſioreq́ ſunt corpore, eæ paulelum ſentiuntur, cum aliarũ nulla manifeſte percipi poßit. Etenim in macilentis etiam aliarum plurium arteriarum particulæ, ſenſum minime fugere queunt. Hæc igitur omnia, quæ adhuc de uenis arterijsq́; dicta ſunt, in perfectis uiſuntur animantibus. At in conceptibus, præter iam memoratas in ipſo fœtus inuolucro, quod chorion Græci uocant, uenæ, arteriæq́; intexuntur ab extremis uenarum oſculis prodeuntes, quæ ad uterum pertinent. Coeuntibus autem inter ſeſe illis, ac quæ ex eo coitu factæ ſunt, rurſum concurrentibus, ex ipſis fieri contingit par illud uenarum & arteriarum utrunq;, quod in umbilicum inſeritur. At enim arteriæ quidem ueſicam complexæ, ad arterias illas tendunt, quæ à magna per ſpinam porrecta, ac bipartito ſciſſa ad ſibi ſubiectũ utraq; crus mittuntur, ſicut paulo ante oſtenſum eſt. Venæ autem ſimul atq; ex umbilico ſe prompſerint coeuntes magnam perficiunt, quæ ad gibbum iocineris tendit, haud procul ea uena, quæ ad portas eſt. Hæc igitur uena ſine arteria eſt: ac poſt illam tota caua. Quicquid enim eius uenæ gibbas iocineris perreptat partes, quodq́; indidem ad ſpinam perfertur, omne id nullam habet adiunctam arteriam. Nec

riam. Nec uero alia ulla ex ijs uenis, quæ per gib- ba iocineris expanduntur, adiacentem arteriam na- cta eſt: ſic nec quæ ſepto tranſuerſo intextæ ſunt, quas à caua dum ſeptum tranſigunt, oriri ac pro- pagari diximus. Iam uero & quæ thoracem alit uena, quam in ſimijs paulo ſupra cor ortum habe- re oſtenſum eſt: hanc quoq; uidere licet, per ſpinā ſine arteria deſcendere. Nihilo hac minus notabi- li alia magnitudine, quam humerariam diximus appellari, ſine arteria eſt: unàq; omnes quotquot ab ea propagantur rami, præterquam unicus tan- tum, quem in eo nodo, quo brachium cum cubito coartatur, ortum habere: & ad interiora profundi us recedere, occultariq; memoratum eſt: quemad- modum etiam uena illa interior, quæ per axillam fertur. Hæ ſiquidem duæ ſolæ per profundiora cu- biti cum arterijs ſe porrigūt: aliæ porrò uenæ, quæ per cubiti ſuperficiem expanduntur, omnes arte- rijs carent: tres enim, aut quatuor ab ea, quæ per axillam iter habet, produci antea diximus: aliaq; etiamnum bis amplior, quæ ex ambabus confla- tur. Hæ inquam omnes in utraq; manuum uenæ ar teriam copulatam non habent. Ad eundem ſe ha- bet modum uena ea, quæ circum brachij os per auerſam eius partem contorquetur, ſubindeq; ad

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

cutem emergens, circa extuberantem brachij nodum, ad cubitum pertingit. Hæc etenim omnisq́; eius ſoboles ſine arterijs excurrit: ſimiliter & è iugularijs, quæ ſuperficiem innatant cum omnibus indidem enatis ramis. Iam quæcunq; collo intextæ ſunt uenæ, uſquedum ad ſcapulas extendantur: tum quaſcunq; ubi de ipſarum diſſectionibus ſermo haberetur, diximus ad uicina clauiculis loca ſpargi omnino tenues: hæ inquam omnes ſolutæ liberæq́; uagantur. Quin de multis, quæ per faciem, caputq́; expanduntur, uenis, perpaucæ omnino arterijs adiacēt: ſicut paulo ante diximus, cum de arterijs quæ & per tempora, & poſt aures ſubter cutem extant, ageremus. Deniq; ut ſummatim dicamus, ſuperficiarijs omnibus, aut quæ per dorſum, latera, totum thoracem, inferioremq́; uentrem, ſub ſumma cute expanduntur, nullam inuenias ſubditam arteriam. Vtiq; earum etiam, quæ ex ſubchartilagio deorſum feruntur, quas copulari, ac confluere cū uenis ex imis uentris partibus ſurſum uerſus ſeſe attollentibus, dictum eſt, nulla quæ modo in ſuperficie innatet, appoſitam habet arteriā, ſicut quæ altius cōditæ, per internas muſculorum rectorum partes porriguntur, illæ etenim habent. Quæ autē, nec ſuperficiariæ omnino ſunt,

& ab ij s

*& ab ijs quæ profundius abſconduntur, ortum ha-
bent, ad hunc conſtant modum. Nam quæ ex alto
deorſum tendunt, adiacentem nactæ ſunt arteriã.
Quæ ex imo ſubeuntes ſuperne uenientibus uenis
coniunguntur, ſine arterijs ad glandia quædam
euadunt. Similiter ex ijs, quæ per ſacrũ os ad eius
loci muſculos ſparguntur, unica cum arteria con-
iuncta eſt, aliarum autem nulla. Tum uero quas
ad genitale ferri dicebamus, in exterioribus muſcu-
lis naſcentes, ne illæ quidam cum arterijs copulan
tur. Haud aliter, quæ per crura ſe effundunt uenæ,
ſubter tibiæ cutem, ſiquidem cum magna uena pau
lo ante, quàm ad poplitem pertingat, tripartito il-
lic ſcindatur, quæ ex ea diuiſione ad interiora ſu-
bit, una cum omnibus, quos obiter emittit ramis,
arteriam adiunctam nacta eſt, quæ autem ad cu-
tem recedunt, earum ne una quidem adiacentem
habet arteriam. Hæ igitur ſine arterijs ſunt uenæ.
Arteriæ autem ſine uenis illæ ſunt, quæ in anima-
libus etiamdum in utero agentibus, ueſicam am-
plexantur, quas ab umbilico ad arteriã ſpinæ ap-
poſitam perferri diximus, circa illas maxime par-
tes, ubi ea bipartito ſciſſa, ramos ad ſibi ſubiectum
utrũq; crus traducit. Quin ea quoq; propago, quæ
in conceptibus cũ à magna arteria ſe prompſerit,
in uenã*

in uenam arterioſam inſeritur. Ea inquam non ſubſtantia modo corporis, ſed uſu etiam, ac functi one arteria eſt: quæ & ipſa abſq; uena porrigitur. Arteriæ porrò ſine uenis, non tantum in concepti- bus, uerum etiam in iam perfectis animantibus ui ſuntur. Primum magnæ illæ, quæ ex corde prode- unt: una quidem quæ ad quintã uſq; thoracis uer- tebram deſcendit: altera, quæ prima omnium ad iugulum effertur: poſt has, ea etiam, quam ad ſca- pulam, & axillam ſiniſteriorem tendere oſten- ſum eſt. Harum enim unaquæq; aliquandiu ſola citra uenæ copulam excurrit: & ea quidem, quæ ad quintam uertebram deſcendit, uſquedum à uer tebra ſubnixa fuerit: quæ autem ad iugulum ten- dit, donec ad locum peruenerit ubi thymus eſt po- ſitus: quæ uero ad ſiniſteriorẽ axillam, donec pro- pe primam coſtam proceſſerit. Iam arteria ſine ue- na eſt, ex carotide propago una, quæ ſola ad textũ retis inſtar habens aſcendit. Hanc enim uidere li- cet, multum ab eo recedere foramento, per quod extremam iugulariam ad cerebrum ſubire dictum eſt. Enimuero ipſum quoq; reti ſimile textum ſi- ne uena eſt: tum quæ indidem ulterius procedunt, in ipſo progreſſu nullam habent adiacentem ue- nam prius quàm coire incipiant: tum uero, quæ

ad ſeptũ

ad ſeptum tranſuerſum pertinent,earum nulla cũ uena iungitur,prius quàm in extrema inciderint uenarum,quas à caua numeroſiori ſobole propagari oſtenſum prius eſt. Quemadmodum, nec primæ illæ propagines,quæ ad iecur & uentrem, & lienem,& inteſtina mittuntur. Nam ne illis quidem adiacet uena,prius quàm incipiant coniungi.

GALENI DE NERVORVM *diſſectione, Commentarium: Antonio Fortolo Ioſerienſi interprete.*

QVOD NVLLA PAR*ticularum animalis neq; motum,quem arbitrarium uocamus,neq; ſenſum ſine neruo obtineat:ac quòd ſi incidatur neruus,immobilis cõfeſtim inſenſibiliſq; reddatur particula:inter omnes conſtat medicos. Quòd autem principium,origoq́; neruorum ſit cerebrũ, ſicut & ſpinalis medullæ,quodq́; nerui partim ex cerebro, alij ex ſpinali oriantur medulla: id uero*

minime

minime omnibus notum, exploratumq́; fuit. Cæterum quod in diſſectionibus corporum apparet, ad hunc ſe habet modum. Ipſi quidē anteriores uentriculi, per cerebrum in priorem procedentes partem, ſenſim leniterq́; in anguſtum coartantur, ferè in ſpeciem figuræ turbinatæ: donec ad principium pertigerint naſi, mutuo ſitu adpoſiti, ac ſeſe perpetuo cōtingentes, ut nihil inter ipſos ſit medium præter tenuem membranam, meninga Græci uocant. Horum quidem ſinuum ad partem utranq;, unus dextra, & alter ſiniſtra, neruus eſt, craſſitudine notatu digna, & ferè omnium neruorū aliorum molliſſimus: ex ipſo quidem prodiens cerebro procurrens autem in oculos extra caluam, per foramen prorſus æque patens, ac latum, quanta eſt nerui ipſius craſſitudo. Poſitum autem eſt id foramen, quà primum naſci incipit oculorum regio: ac tibi, ſi contemplatus fueris, nerui iſti, ceu quædam oculorum radices eſſe uidebuntur. Diſſoluuntur autem haud quidem in plures fibras, cæterorū omniū neruorum modo, qui in ea, à quibus ſuſcipiuntur inſtrumenta uariæ diſperguntur: ſed alio quodam mirabili plane modo, quem nec facile ſit explicare, nec ſi tibi explicuero, fortaſſe credas: utiq; priusquàm ſpectaculo interfueris: uterque

enim

enim in ſibi aduerſum oculum, intrò ſubiens in latum ſeſe explicat: ipſumq́; qui in oculo ineſt uitreum humorem, in orbem ſphæræ modo ambit: nihil quicquam detrimenti contrahens, quo minus naturam, ſubſtantiamq́; cerebri inibi retineat. Sed in ſolis hiſce neruis, ante quàm in oculos inſerãtur, ſenſibilis quidam meatus ineſt: unde ipſos nonnulli anatomaci, poros, id eſt meatus appellarũt: alij opticos neruos, id eſt uiſui adminiſtros uocãt, nomine à functione, quã ipſi obeũt, facto. Ac primã quidem hãc coniugationẽ neruorũ, qui à cerebro oriantur numerant, quæ aliarũ omnium eſt molliſſima. Altera poſt hanc eſt coniugatio, in muſculos qui oculos mouẽt diſtributa, durior multo ea, quã modo memorauimus. Hæc ex calua foras emergit, haud aliter, atq; illa, tenuiſſimo dirempta oſſe. Cui dum per caluam procedit, non etiam cum primum naſcitur, adiacet tertia neruorũ coniugatio: uocãt autẽ ipſos molleis, multiq́; circa primã ſtatim radicem apparent, ſi modo diligentius animũ aduertis, nam negligentius intuenti, unus omnes eſſe uideãtur. Molliores quidem certe iſti ſunt, tũ ſecundæ, de qua modo agebamus, tum uero eius, quæ mox ſequetur, quartæ coniugationis, aliarũq́; deinceps coniugationum neruis, ſiquidem tales

eo magis

eo magis uidentur, quod cum plures numero ſint, capillorumq́; modo prætenues, ita paribus inter ſe ſpatijs adiacent, ut citra compreſſum connexumq́; committantur. Paulo ijs durior neruorum ex cerebro prodeuntium quarta coniugatio cum tertia miſcetur: ac perreptat, primum quidem craſſam membranam, cerebri cuſtodem: deinde ipſum etiam capiti obductum os: tum rurſus ad palatum retrocedit. At enim tertia coniugatio, ſicut ex frequentibus primis radicibus uidetur conſtare, ita etiam uarie ſcinditur ac deſinit. Neq; enim refert, utrum ſolui à ſeipſis inuicem dicas prædictam neruorum frequentiam: an totum diſcindi, partibus in diuerſa tendentibus, ita ſiue dicat aliquis ipſos à ſeipſis neruos diſcerni, ac ſeparari, ſiue à tota congerie, quamlibet oriri partem, nihil intererit. Primum igitur, unaquæq; ipſorum pars ad inferiorē capitis partem recedit: id quod anatomicos latuit. Commune autem eſt caluæ foramentum per quod hæc deorſum fertur, & arteriæ carotidis reliquum ad cerebrum ſubit, utrinq; autem una eſt. Id enim ſi quando non adderetur, ſubintelligere attamen ſemper oportet, præſertim eos qui ſemel modo audiſſent, nullum neq; à cerebro, neq; à ſpinali medulla neruum eſſe non coniugatum, ſed ſemper alterum ad

terum ad

terum ad dextram, ad ſiniſtram alterum, eadem prorſus utrinq; magnitudine ſitum obtinere. Quo itaq; modo nerui iſti, per collum, ac thoracem ad loca præcordijs ſubdita ferantur: quæq; ipſorum ſit diſtributio, procedente oratione oſtendemus. Nunc autem ad reliquas coniugationis tertiæ partes referamus commentationem. Ea è calua emergens, attingit quidem ſecundam: cæterū haudquaquam eodem modo cum ea permiſcetur, quo aliæ quædam permiſcentur: ſed ſicuti iam dixi, uarie ſcinditur. Statim itaq; pars eius qua maxilla iungitur, ante aures erumpit, quæ quemadmodum cū neruis, à quinta coniugatione uenientibus coeat, non ita multo poſt, audies, hæc igitur parua quædam ipſius pars eſt. Quod autem tanquàm truncus eſt omnium indidem prodeuntium particularum, quæ & ipſæ ramorum, ac palmitum uicem, rationemq; ſubeunt, bipartito ſcinditur primum: deinde membrum utrunq; in multas rurſum partes. Et alterum quidem, tum in temporum muſculos diſpenſatur, tum eos quos molitores appellant, tum uero in eos quoq; qui ex ſuperiore mandibula ortum habent. Quin ad gingiuas etiam, & dentes, & cutem, quæ faciei prætenditur, ex hiſce ner-

tium,qui in inferiore impacti ſunt mãdibula,diuiditur,ad eundẽ omnino modũ,quo prius illud membrum in ſuperiores, ac perinde ad gingiuas, labraq́; inferiora propagines mittit, ut illud ad ſuperiora, plurima autem ipſius pars ad linguæ tunicam pertinet. Ac nonnulli coniugationem hanc neruorum,guſtatoriam uocant: quoniam miniſterio ipſorum ſenſus guſtandi obeatur. Ad hunc igitur modum ſe habet tertiæ neruorum coniugationis diſtributio. Dictum porrò & de quarta eſt, quam rectè Marinus animaduertit, abs tertia recedentem, ad palatum peruenire, de qua & ipſa, in diſſectionum libris pertractauimus. Eſt autem & alia neruorum cõiugatio, quam Marinus quintam nominat. Quanquam non ea quidem ex una adeo radice prodit, ſed uicini inter ſeſe nerui ipſi ſunt, cum alter tamen ex altera radice oriatur. Et hic quidem quem auditorium appellant, in priore magis parte, ad auditus meatum emergens, unà cũ dura membrana, quæ indidem, unde neruus ipſe exoritur, cum qua in latitudinẽ ſeſe effundens meatui leniter obducitur. Alter uero ex parte auerſa, in alterum quoddam oſſis (quod lithoides Græci ab inſigni duricie uocant) excidens foramen, cæcũ appellatum, id enim antiquiores anatomici nomen

indiderunt

indiderunt, cum utiq; perforare nõ potuiſſent ex=actius eum anfractum, per quem neruus poſt aures foras erumpit. Coit autem mox neruus hic, cum eo, quem cum de coniugatione tertia ageremus, foras prodire, quà maxilla iungitur, oſtenſum eſt: haud illo quidem ad hunc perueniente, ſed operien te potius, dum hic ad ſe pertingat. Ex ambobus autem ipſis commixtis pars plurima, uel ut uerius dicam, totum ferè in latum muſculum ſcinditur: qui cuti ſubiectus, buccam (γνάθον Græci uocãt) ſine maxilla mouet, quem nos primi obſeruauimus unum manifeſto atq; eum utrinq; exiſtentem. Meminiſſe enim te oportet, ut ſemper ſubaudias ſecundum copulam, etiam ſi inter loquendum, aliquando omittatur, ad hunc igitur modum quinta diſtribuitur coniugatio. Age enim, quando ita placet Marino, unicam eſſe fingamus, etſi duplicem liquido eſſe conſtet. Sexta autem neruorum ex cerebro naſcentiũ coniugatio, foramine uſa eſt, quod ad ſuturæ Λ Græci elementi ſpeciem præferentis, extremitatem inferiorem interpatet. Principia autem ſtatim è cerebro prodeuntium trium neruorũ obtinet: quæ ubi è calua emerſerint, multifariam

ptima neruorum cerebri c oniugatio, cuius pars optima in linguæ muſculos diſpenſatur. Exigua *uero quæpiam particula, ad muſculos peruenit, communes charilaginis, quæ in gutture clypei imaginem præfert, & inferiorum laterum eius quæ a figura Λ literæ* Græcæ *labdoides appellatur: ac in alios quoſdam non ſemper.* Commiſcentur *autē ut dictum eſt, inter ſeſe nerui ad inferiora capitis tendentes, tum is qui abs tertia coniugatione, tum is qui à duobus nouiſſime memoratis oritur.* Ac *ſanè neruorum, qui à ſpinali medulla naſcuntur prima, ſecundaq́; coniugatio, ſæpius ſocietatem init cum hiſce neruis.* Et *tibi quidem perſæpe uidebitur, quod de altero traijcit in alterum, ceu uinculum aliquod duntaxat eſſe ambobus commune.* Id *uero interim neruorum alterum auget, quaſi ad ipſum accedens, ſeſeq́; cum illo commiſcens: alterū, utpote abs quo ſeceſſerit, exiliorem facit.* Quæ *res magnam hiſce cognoſcendis neruis caliginē offudit omnibus anatomicis, ut inter ſe ipſi diuerſa, ac pugnantia proderent, plurimaq́; ipſorum in uno quoq; ignorantia extaret.* Quoſdam *enim nunquā non modo in omnibus animantibus, ſed ne in ſolis quidem ſimijs ferri, quaſi nunquam aliter ſe habeant, ſcripſerunt.* Nonnullos *uero non in ſolis tantū*

ſimijs

ſimijs, ſed in omnibus etiam animalibus, quorum ſex eſſe genera in diſſectionum libris retulimus, ad eundem ſemper conſtare modum. Hoc *autem* pror-*ſus ipſi ignorauerunt quomodo proprijs gutturis muſculis nerui è ſexta coniugatione diſtribuantur, terni utrinq; prodeũtes, ut ſex numero omnes ſint.* Cognouerunt *autem quidam duos tantum ex ijs: alij ne hos quidem.* Enimuero *muſculi gutturis illi, quos cum alijs quibuſdam partibus communes habet, non ſemper à ſexta neruos accipiunt: ſicut nec qui os illud gutturis, quod tũ à figura* Λ *lab-doides: tum à ſpecie* υ ὑοειδὲς *uocant: cum oſſe pe-ctoris connectunt.* De *quibus exacte ac cumulate in diſsectionum libris pertractatur: ubi etiam de tribus agitur neruis, quo utiq; illi modo diſpenſen-tur: quos per foramen ad extremam* λαβδοειδῆ *ſu-turam interpatens prodire dictum eſt.* Quanquam *utrunq; omnes prope unum eſſe arbitrantur, qui ca-rotidibus adhæret arterijs: qui ſi laqueo intercipia-tur, mutum animal redditur, ab his igitur, guttu-ris muſculi propagines accipiunt.* Aliorum porrò *duorum, alter ad utroſq; faucium muſculos, lin-guæq; radicem pertingit: alter ad ſcapulæ muſculũ, & ad eum qui latus eſt, alioſq; quoſdam eius loci*

rum,qui carotidibus adiacent,propagines nõ pau/cæ:quas ipſi per collum,thoracemq; delati edunt, prius quàm in uentris os incidãt,quò optima pars eorum neruorum ſe inſerit, & ſpargit. Enimuero *mirum illud eſt,quod in præcordia quaſdam ex ipſis particulas diſtribui tradunt, cum de hac coniugatione nihil ne minimum quidem, præcordia accipiant, quòd autem de medio thorace retrorſum aliquæ ueniũt particulæ ab ijs neruis ad quoſdam gutturis muſculos,non etiam dicunt, nec uero quam uim iſti nerui habeant.* Atqui, *ſi leſæ fuerint,cauſa ſunt ut obmuteſcat animans, ac magna neruorum arterijs adiacentium coniugatio, quoniam iſtorum partes ſint,ſi offendatur,uocem eripiendi uim obtinet.* Varia *autem ultra præcordia neruorum iſtorum eſt diſtributio, nam & à ſpinali medulla,quæ circa eam eſt partem, quoſdam ſumunt ramulos,eosq; adpoſita inibi uiſcera diſpergunt,cumq; ijs miſcentur,quos ante à coniugatione tertia per collum,thoracemq; deferri diximus.* Atq; *hos rurſum ipſos neruos, qui propter coſtarum radices deorſum porriguntur, à ſexta coniugatione eſſe propagatos prodiderunt omnes.* Multiplex *porrò & horum permixtio eſt cum neruis intercoſtalibus,alijsq; ferè omnibus, qui per lumbos,gra/*

bos, graciliores extenduntur: deniq; cum reliqua eorum parte, qui ad os uentriculi pertinent. Varia etiam digeſtio neruorum eſt per extimam peritonæi regionem: quam minime propoſitū eſt accuratiſſime in præſentia perſequi.

FINIS.

Digito compeſce labellum.

Dixiſſe, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam.



πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω.

עת לחשות ועת לדבר

Baſileæ. In ædibus
Thomæ VVolffij.

M. D. XXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE